



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

IV. An Logica sit Ars?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

malem spectat tendentia in obiectum, quod ex vi illius apparet per medium euidens. Ex hoc infero Logicam docentem vt docentem præcisè sumptam non esse scientiã, quia potest dari actus Logicæ docentis, qui scientia non sit; Logicam verò vt docentem, seu vt ostendentem modum quo faciendum est sciendi instrumentum per medium euidens, seu conclusionem deducta ex præmissis euidetibus formalissimè esse scientiam.

18 Omnia quæ de actibus Logicæ vt sic, & de actibus Logicæ docentis & vtentis huc vsque diximus disputantes, an illis ratio scientiæ actualis conueniat, eodem prorsus modo transferenda sunt ad habitus, à quibus procedunt; ille enim habitus dicitur habitualis scientia, qui est principium actus, qui est scientia actualis; & habitus, qui huiusmodi actus principium non est, nullatenus habitualis scientia dicitur.

PUNCTUM IV.

An Logica sit ars.

1 Incidimus in egregiam de nomine quæstionem, quam sine contentione adhuc illorum, qui de hac re contentunt, breuiter definiam. Logicam esse artem defendunt P. Fonseca 2. Met. cap. 3. quæst. 2. sect. 4. P. Vasq. 1. 2. disp. 85. cap. 1. & pauci ex antiquis apud Vallium modò citandum. Dialecticam non esse artem defendunt P. Tolet. q. 4. de Dialectica in communi propè finem, P. Vallius Part. 2. Prolog. q. 4. cap. 10. P. Smigletius disp. 2. sect. 5.

2 Aristoteles artem definit: *Habitus cum ratione factiuus*, quæ differt à prudentia, quam definiuit idem Philosophus: *Habitus cum ratione actiuus*, per ly *factiuus*, cuius verbi expositio est totum huius difficultatis negotium. Dixi Controu. 1. Punct. 1. Aristotelem factionem appellasse, omnem actionem siue internam, siue externam distinctam ab habitu voluntatis, quod inferebam, ex eo, quod in illa diuisione habitus in Intellectum, Sapientiam, Prudentiam, & Artem, nomine artis scientias practicas intellexerit, & nomine scientiæ speculatiuas tantum comprehenderit. Iuxta hanc definitionis Artis expositionem, Logicam esse artem compertum est, quia est habitus cum ratione præscribens quæ ratione facienda sunt sciendi instrumenta, quæ sunt operationes intellectus distinctæ à voluntatis operationibus. Neque ars secundum hanc acceptionem desumpta opponitur cum ratione scientiæ, potius omnes scientias practicas comprehendit.

3 Alij ex Aristotele probare intendunt factionem esse actionem, quæ præter ipsam habet aliquod opus externum quod post se relinquit, sicuti ars adificandi post actionem relinquit adificium post illam perseuerans. Ex eodem capite iidem affirmant Aristotelem 1. Magnorum Moraliũ c. 33. negare citharizationem esse factionem, quia non relinquit opus post se. Iuxta hanc artis acceptionem Logicam non esse artem compertum est, quia operatio, ex vi cuius sciendi instrumentum constituitur, nullum opus post se relinquit, & ita habitus, ex vi cuius fit sciendi instrumentum habitus factionis dici nequit, & consequenter habitus factiuus dici non potest. Ex hoc capite à ratione artis P. Toletus, P. Vallius, & P. Smigletius supra citati Logicam excludunt.

4 Tota hæc quæstio deuoluitur ad inquirendum, quid Aristoteles intellexit per nomen *factiuus* in definitione posito, & quid idem Philosophus per factionem intelligat, cuius principium nomine *factiuus* significatur, in qua video nobiles Aristotelis interpretes asserentes Aristotelem nomine *factiuus* intellexisse principium operationis externæ, ideo ab hac expositione non recedo, iuxta quam dicendum est Logicam non esse artem. Standum tamen est dictis Controu. 1. Punct. 5. vbi dixi nomine artis omnes scientias practicas intellexisse Aristotelem, & ita nomen *factiuus* in definitione artis appositum extendendum esse ad omnes operationes etiam internas distinctas à voluntatis operationibus.

5 Quæ duo componentur si dicamus in prædicta definitione extendisse nomen artis, & rationem factiuæ, ad habitus, qui strictè loquendo factiuæ non sunt, & rationem factionis ad actiones, quæ non ita simpliciter debent appellari, sed tantum secundum quid propter similitudinem aliquam, quam habent in hoc quod est dirigi aliis actibus

intellectus, cum externis operationibus, quæ propriæ factiones dicuntur. Cum enim in eadem diuisione nomen scientiæ non in tota sua latitudine desumpisset, quatenus se extendit ad omnem scientiam, sed tantum pro scientiis speculatiuis, necessum fuit illi nomen artis extendere ad illa quæ tantum secundum quid, & propter similitudinem aliquam artes dicuntur, vt sub illo comprehenderetur ea, quæ nomine scientiæ sub quo legitime comprehendi debebant, continerentur. Potuit autem Aristoteles vt nomine scientiæ strictiori significatione, quam in se habet, vt ostenderet excellentiam scientiarum speculatiuarum, quarum comparatione practica scientiæ, etsi essentia scientiæ gaudeant, non simpliciter scientiæ appellandæ esse videntur. Supposita autem hac stricta acceptione scientiæ, necessum fuit laxà vt artis acceptione, ne scientiæ practice in illa diuisione non contentæ nomine scientiæ omnino à diuisione excluderentur.

PUNCTUM V.

An Logica sit scientia practica vel speculatiua.

1 R Eucanda sunt in memoriam illa, quæ de natura scientiæ practice & speculatiue tradidi Controu. 1. Punct. 2. quibus præmissis faciliè præsentem dirimam quæstionem.

2 Prima sententia docet Logicam esse purè speculatiuam: sententiam hanc defendunt Scotus, quem sui sequuntur. Ex modernis Rada Controu. 3. art. 2. Faber in prologo sententiarum disp. 9. c. 1. Theodorus ibid. quæst. 4. Meriuero in Logica disp. vnica proœmial. quæst. 6. sect. 2. & apud hos plures ex antiquis Scoti discipulis. Eandem amplectuntur ex Thomistis non pauci, Capreol. q. 2. prol. Soncinas 6. Met. q. 2. Tabel. ibid. Scotus in Logica q. 4.

3 Secunda sententia docet Logicam partim esse practicam, partim speculatiuam: ita sentiunt P. Vasq. 1. part. disp. 4. n. 2. P. Suar. 2. Met. disp. 44. sect. 13. m. 54. P. Rub. q. 5. Proœmij num. 14. Hurt. disp. 2. sect. 2.

4 Tertia sententia docet Logicam neque esse practicam, neque speculatiuam, neque vtramque differentiam secundum distinctos actus habere, quia neutram illarum propriè in se habet; & improprie aliquid vtriusque participat. Sententiam hanc defendunt Smigletius disp. 2. sect. 4. & P. Vallius part. 2. prolog. q. 4. c. 16. c. 15. 16. & 17.

5 Quarta sententia cui assentior asserit Logicam esse merè practicam. Defendunt hanc sententiam Fonseca 2. Met. c. 3. q. 2. sect. 4. Conimb. q. 4. art. vnico, Arriaga disp. 3. sect. 4. subsect. 2.

6 Prima sententiæ fundamentum est Logicam versari circa operationes intellectus, ex quo infero Logicam non esse practicam, quia ratio practici dicit ordinem ad praxim, & operatio intellectus praxis esse nequit, cum essentialiter sit speculatio, quæ praxi opponitur. Fundamentum istud impugnauit Controu. 1. Punct. 2. vbi contra Scotum, & illius asseclos probauit nostri intellectus operationem optimè posse rationem praxis habere, & hanc non dicere actionem distinctam à nostri intellectus operationibus.

7 Fundamentum secundæ sententiæ est, dari in Logica aliquos actus, qui practici esse nequeunt, quos postea obiciam contra propriam sententiam, & ostendam tales actus practicos esse, vel ad Logicam non pertinere.

8 Eidem ferè fundamento, quo prima, tertia innitur sententia, quæ asserit Logicam non esse propriè practicam, neque propriè speculatiuam, negat enim esse speculatiuam, quia non sistit in cognitione sui obiecti; & non affirmat simpliciter esse practicam, quia illius obiectum sunt nostri intellectus operationes, quibus ratio praxis conuenire nequit, quia hæc dicit actionem distinctam ab operationibus nostri intellectus. Concedo ergo huic sententiæ Logicam non esse speculatiuam propter rationem, quæ ipsa vtitur, & nego practicam dici non posse, quia vertitur circa operationes nostri intellectus, quibus ratio praxis conuenire non possit, ostendi enim loco citato optimè prædictam rationem praxis nostri intellectus operationibus conuenire. Quod si velis defendere praxim dicere actionem distinctam à nostri intellectus operationibus alicui testimonio Philosophi adhærens, contentio tantum poterit esse de Philosophi mente, in re enim omnes conuenimus Logicam dirigere nostras intellectus operationes, &